

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Ad amicum quendam, Philippi Mel. epistola

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

meam studiorum causa susceptam. Si quid autem proficere Dei beneficio, totum me addicam V. C. efficiamq; ut intelligat hæc uestra beneficia apud hominem gratum posita esse. Valeat C. V.

Ad amicum quendam, Philippi  
Mel epistola.

Quod faustum foelixq; sit, redit ad uos D. Antonius, cum quo mihi propter ingenij ipsius candorem uetus iam amicitia est. qui cum & humanitatem & officia tua erga me predicasset, adiecit te mirum in modum amantem esse mei. Ego sane talis uiri amicitie ualde gratulatus mihi sum.

Quamquam enim & nostra studia & illæ conuersiæ, in quas fato quodam meo incidi, à populari laude abhorrent: tamen hoc mihi semper precipuum fuit in uotis, ut probarer bonis & doctis uiris. Horum si candidos habere calculos potero, in doctorum iudicia magno animo respiciam. Duxi itaq; ad te scribendum esse, ut tibi pro hoc animo gratias agerem, ac ostenderem me amicitiam tuam plurimè facere, teq; uicissim toto animo complecti. Etenim cum amicitia sit, ut Philosophi disputant, iusticia quedam, mutuam esse beneuolentiam decet. Utinam uerò prestare aliquid hoc amore dignum possem. Libelli aliquot mihi exciderunt, informes adhuc. Non enim contingit otium, aut tempus ad perpoliendum.

Si quid igitur horum legendum putabis, pleraque  
 boni cōsulas uelim, quæ sunt inchoata uerius quàm  
 absoluta. Nunc recudo narrationē **Quinti Ethio-**  
**corum:** qui liber, ut scis, iusticiæ imaginem pulcher-  
 rimam ac uerissimam pingit, planeq; talem, qualis  
**Apellis** est color in tabulis. Nemine autem rectius  
 dedicauero, quàm tibi, iusticiæ aut iuris professori.  
 Itaq; curabo, ut extet illud testimonium mei erga  
 te animi. Multa in eo libro erui, atq; explicauit lo-  
 cos in priore omisso. Sed omnia perpurpare non  
 potui. Erit igitur auspiciū nostræ amicitie iusti-  
 cia: quæ ut uniuersæ societatis humanæ, ita maxi-  
 mè unicum esse debet nostræ cōiunctionis, quam  
 amicitiam uirtutis causa colere debemus. Postre-  
 mò ita me simul tibi cōmendo, ut tibi simul et pa-  
 trocinium honestissimorum studiorum et litera-  
 rum commendem: quæ si quando unquam, nunc  
 maxime à bonis uiris opem et defensionem implo-  
 rant. In Gallia immanis seuitia exercetur in homi-  
 nes doctos et pios. Gaudeo uestrorum animos mi-  
 tiores esse factos. Scis, nihil esse naturæ hominis  
 ac iusticiæ inimicitius, quàm uim et crudelitatem.  
**Quantum** igitur potes, hortaberis principes ad  
 clementiam, et ad gloriam Christi. Bene  
 uale. 13 Martij, Anno 1535.

Erasmus